



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VII. Issacius Comnenus Imperator præscribit jura quæ Episcopis  
competunt propter ordinationem Clericorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

perent. Nimirum ab Episcopis accipiebatur pro inthronistico & cathedratico, quod nos installationem vocamus, non autem pro consecratione; à Clericis verò pro ministerio suo in consecratione, & pro salario expeditionum. Nam ea pars pecuniæ quæ decidebat Episcopis, eo prætextu accipi potuit, quò sumptibus itineris consuleretur. Quippe ex diversis provinciæ locis congregandi erant; & mora faciendâ erat pro examine electionum ac consecratione. At istud congiarij genus, & modicum subsidium, quæ à Iustiniano probantur, multùm aberant ab Annatis, quæ ad immensam pecuniæ vim porriguntur, & aliunde Officiariis Curia Romanæ donantur pro confirmatione electionis, cum cathedratica illa à Iustiniano probata tribuerentur ad levandos sumptus qui incumbant Episcopis qui celebrabant ordinationem.

V. Sed in hoc negotio in primis observanda est Principis auctoritas, quæ in hac constitutione emicat; qui salariis & congiariis modum præscribit ab Episcopis Ecclesiarum quæ in Imperio sunt persolvendis. In quo illud quoque animadvertendum est, eum duabus de causis, quæ pertinent ad jurisdictionem secularem, quæque duobus verbis in hac Novella explicantur; potuisse hanc legem condere pro taxatione illa. Prima ratio petitur ex eo quòd cavendum est ne reditus Ecclesiarum alieno aere prægraventur, quod contrahi necessum esset, si solutiones illæ modum excederent. Secunda verò, ne sacerdotia fiant venalia, quòd Principis officium sit punire crimina, exempli causa simoniam, & ejus effectus impedire: *Igitur jubemus hæc omnibus modis observari; ut non ex talibus occasionibus Ecclesiæ debitis prægraventur, & sacerdotia venalia fiant.* Ceterùm ea constitutio eò majoris momenti est, quòd Ecclesiam quoque Romanam ut ceteras complectitur; præsertim cum à beato Gregorio laudetur & approbetur, quamvis aliam ob causam.

VI. Aliam quoque pravam consuetudinem invexerant Episcopi, nimirum ut aliquam pecuniæ summam acciperent ab Episcopis à se consecratis. Id deinceps fieri prohibet eadem Novella constitutio Iustiniani, quæ tamen permittit ut Clerici ordinati & in Ecclesia intitulati solvant salaria consueti iis qui in hujusmodi ordinationibus ministrant; ea tamen lege, ne illa excedant reditum unius anni: *Vnius anni diaria non excedentes pecunias præstet*, ut interpretatur Iulianus, quod non excedebat centum aut centum quinquaginta libras Turonenses. Quippe ea tempestate Clericis assignati non erant

certi reditus; sed eis quædam reditus portio, velut pro salario, præbebatur è publico. Vnde sequitur id trahi non posse in consequentiam quoad Annatas episcopatum aut monasteriorum, quæ ad immensam pecuniarum vim assurgunt. Sanè Iustinianus non concessit ut reditus unius anni persolverentur pro magnis illis Beneficiis; sed aliqua tantum pecuniæ summa quæ infra mediocritatem subsistit, eisque modus impositus est in capite tertio hujus Novellæ; adeo ut episcopatus quorum annui reditus non excedunt duas libras auri, hoc est, centum quadraginta quatuor scuta, liberi omnino censeantur ab omni solutione. Salaria à Clericis persolvenda vocantur *emphanistica*, vel *insinuativa*; quasi diceret, pecunia debita pro insinuatione & descriptione Clerici in libris & matricula Ecclesiæ. Consuetudinem illam in magna Ecclesia CP. tolerat Iustinianus, sed in ceteris eam prohibet. Quod non

VII. Iſaacius Comnenus Imperator, qui anno MLVIIII. imperabat in Oriente, præscribit secundum formam antiquam jura quæ Episcopis competunt propter ordinationem Clericorum, quæ non excedunt septem aureos nummos pro universis ordinibus usque ad presbyteratum inclusivè, quod jus vocatur *quovthias*, id est, *consuetudines*, non autem *canonicum*, quod in hac Novella significat tributum quod unaquæque diocæseos parœcia pendit Episcopo proprio, sive illud sit pecunia, sive segetes. Tributum verò illud non erat in usu ætate Balsamonis, ut notat ipse Balsamo in responsione sua ad LVII. interrogationem Marci Alexandrini; ubi ait Episcopos nihil aliud accipere consuevisse à populis quam id quod ultro offerebatur: *ἀποδίδωμε τῆς οὐμθίας ἑ κατὰ τὴν ἐπιτοχὴν διδόντων.*

VIII. Tributa ergo illa Principis auctoritate & consuetudine firmata: obtinuerant citra cujuslibet calumniam, donec sanctus Gregorius congregato Romæ Concilio anno DCCV. nihil unquam de ordinationibus dandum esse constituit *ex traditione chartarum*, id est, pro expeditione literarum ordi-

Nov. 16.

Iulian. Num. 19.

Lib. 1. Iuris Graeco-Rom. & ap. Balsamonem Tit. Nonnoan. c. 14.

Apud S. Gregor. Lib. 4. ep. 49.